

coelo capite 3:²² *Anaxagoras abusus est nomine hoc non bene, nominat enim aetherem pro igne. Attamen, quod hic vituperat, 1. Meteorocapite 3. laudat:²³ *Is enim qui appellatur aether, antiquam accepit appellationem, quam Anaxagoras sane igni idem putasse mihi videtur*
 5 *[304] significare, supera enim plena ignis esse ipseque eam, quae ibi est potentiam, aetherem vocare putavit. Hoc quidem recte discernens^{vii},
 hic ergo laudat quod ibi vituperaverat. Sed cum hic dicatur eum ignem et aetherem idem putasse, cur ibi dicit abusum eo nomine aethera pro igne sumens? Haec sane testantur quoque non fuisse
 10 haec ab Aristotele recognita. Cum ipsemet 1. De elementis capite 3. scripserit:²⁴ *Ignem et aethera appellat idem. Quia idem esse putavit, ut Plutarchus 1. libro capite 13. Placitorum est attestatus:²⁵
*Circumfusum aethera igneum esse secundum essentiam.****

Sed 1. Physico capite 4. maioribus in rebus eum exagitat,
 15 quod scilicet dixerit omnia in omnibus esse. At quis putet dixisse eum carnem esse in lapide aut elephantum in formica? Sed Aristotelica sententia nonne idem concludetur? Materia eius prima nonne omnia est potentia? Eaque potentia omnes formae eruuntur? Eadem potentia ad omnia est in parte materiae, quae in tota
 20 materia, ex tota materiae potentia omnes formae extrahuntur, omnes etiam extrahentur ex potentia materiae partis. Ita ex mei corporis materia et elephas et formica et ignis et glacies et omnes denique etiam contrarissimae formae eruentur. Quo nihil ridiculosius videri potest.

²² Αναξαγόρας δὲ καταχρῆται [κατακέχρηται] τῷ ὀνόματι τούτῳ οὐ καλῶς, ὀνομάζει γὰρ αἰθέρα ἀντὶ πυρός. [ARIST. Cael. 270b.24 – 25]

²³ ὁ γὰρ λεγόμενος αἰθήρ παλαιὰν εἴληφε τὴν προσηγορίαν, ἣν Αναξαγόρας μὲν τῷ πυρὶ ταῦτόν ἡγήσασθαί μοι δοκεῖ σημαίνειν· τὰ τε γὰρ ἄνω πλήρη πυρός εἶναι, κάκεινος τὴν ἐκεῖ δύναμιν αἰθέρα καλεῖν ἐνόμισεν, τοῦτο μὲν ὀρθῶς νομίσας. [ARIST. Mete. 339b.21 – 25]

²⁴ τὸ γὰρ πῦρ καὶ τὸν αἰθέρα προσαγορεύει τὸ αὐτὸ. [ARIST. Cael. 302b.4 – 5]

²⁵ τὸν περικείμενον αἰθέρα πύρινον μὲν εἶναι κατὰ τὴν οὐσίαν [PS. PLU. Plac. 888. D.8 – 9]

^{vii} Od Hoc do discernens je citat.